

## **PHILIPPINE HIERARCHY**

### **PONTIFICAL DOCUMENTS**

#### **NEW BISHOPS AND DIOCESES**

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI dilecto filio Victorino Ligot adhuc Vicario Generali diocesis Laoagensis, electo Episcopo titulo Buduanensi renuntiatoque Auxiliari sancti Praesulis Novae Segobiae, salutem et apostolicam benedictionem. Verbis illis, spei plenissimus, quae Christus, adorandus Dei filius, apostolis habuit antequam in caelos ascendit: "Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae" — Mc. 16, 15-animus Noster usqueque resonat, iisque quasi vivit: Vicarius enim Eius, qui venit in terras has imas, ut perditorum animas redimeret, nullum officium, nullum munus hoc maius umquam duximus, quam ut omnes homines atque nationes et Christum cognoscant, et sanctissimam Eius religionem colant. Quod sane ut in sua regione accommodatus fieret, censuit venerabilis frater Joannes C. Sison, Archiepiscopus Novae Segobiae, se posse maiore cum fructu animis, instare, si sibi negotiis agendis socius laboris daretur. Quam Nos sententiam probantes, post consilium a venerabilibus fratribus nostris petitum S.R.E. Cardinalibus Sacrae Congregationi pro Episcopis praesidentibus, Te bene ad tale munus eligi posse duximus, qui non solum ingenio praestas, religione castissima in Deum in eiusque Matrem nites usuque rerum antecedis, sed etiam studio gloriae Dei procuranda. Qua re, Te dilecte fili, simul Episcopum nominamus Sedis titulo *Buduanensis*, simul Auxiliarem sacri Antistitis, quem diximus, Novae Segobiae, factis nempe iuribus quae cum tua hac dignitate iunguntur. Ad maiorem vero commodatatem tuam respicientes, facultatem facimus ut licite extra urbem Romam Episcopus consecrabis, assistentibus duobus eiusdem amplitudinis viris, qui omnes sint cum Petri beatissima hac Sede fidei vinculis ac sincera caritate coniuncti. Ante vero quam haec a Te acta sint, oportet cum fidei professionem facias, tum ius iurandum fideltatis erga Nos des ad leges ecclesiasticas, teste scilicet aliquo Praesule, qui et ipse sincerae fidei ligamine, hic Cathedrae sanctae obligetur. Quae omnia cum perficeris, formulas ad quas iurasti, tuo nomine subscripto sigilloque impresso,

item eius qui affuit iuranti Tibi, ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittes. Ceterum, summo Deo, vota facimus, id expostulantes ut qui ad maiora pro Christi gloria certamina, sic ut apostolus, benigne vocavit, idem divina in Te liberalitate paria auxilia ferat.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto.

Aloisius Card. Traglia  
S.R.E. Cancellarius

Franciscus Tinello  
Apostolicam Cancellariam Regens  
Expedita die VIII Mar. a. Pontif. VI  
Marius Orsini Plumbator

Josephus Rossi. Epüs Palmyren, Proton. Apost.  
Josephus Del Ton, Proton. Apost.  
In Can. Ap. tab. vol. CXXX, n. 41

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI dilecto filio *Felici Pérez*, archidiocesis Manilensis presbytero, adiuc pietatis magistro in studiorum Universitate Rationali in Insulis Philippinis, electo Episcopo Sedis Imusensis, salutem et apostolicam benedictionem. Qui divina voluntate omnia hisce in terris ad Dei regnum expectantia regimus, inter cetera maioris ponderis negotia id plurimi facimus, quo Nobis sacri Praesules eligendi sunt: quandoquidem enim nostri temporis homines et iteratis hostium incursibus peti et nova erroris caligine obrui videntur, talibus opus est ipsos donari Pastoribus, qui invicta constantia munus suum tuentes, fierimissime et lupos arceant et oves foveant et summi Dei violata iura defendant. Quae cum ita sint, violentes diocessi Imusensi apte consulere, iam vacanti post translatum Artemium C. Casas ad Ecclesiam titulo Macrianensem maiorem, rati sumus Te, dilecte fili, magna cum fidelium utilitate ad eam regendam destinari posse, virum non solum sincerae pietatis ornamento insignem verum et religiones prudentis S.R.E. Caerdinalium qui Sacrae Congregationi pro Episcopis praesunt, deque suprema Nostra potestate, Te Episcopum *Imusensem* nominamus et renuntiamus, dato regimini, administratione atque iuribus quae tanto muneri congruunt. Maiori autem commodo tuo consulentes, permittimus ut episcopalem ordinationem a

quolibet catholico Episcopo accipias, cui duo alii assint, ad normam legum liturgicarum, aequali dignitate viri, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes. Antea tamen tuum erit sive catholicae fidei professionem facere sive ius iurandum fidelitatis erga Nos et successores Nostros dare teste aliquo Praesule, et ipso hanc Petri cathedralm sincere colente, iuxta statutas formulas quas de more signatas sigilloque impressas, ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittes. Volumus insuper ut hae Litterae Nostrae sive clero sive sacrae plebi in cathedrali templo Imusensi perlegantur, cum primus post eas acceptas, dies festus de pracepto advenerit. Quos dilectos filios enixe hortamur ut non solum dilectionis et amores Tibi obsequia exhibeant, sed etiam sedulae oboedientiae officia praestent. Ceterum, dilecte fili, paterno animo vota facimus ut creditum Tibi gregem intuens, eos tua virtute et pietate laetifices atque ad aeterna tabernacula et immortalis vitae praemia perducas. Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo quinto mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto.

Aloisius Card. Traglia  
S.R.E. Cancellarius

Franciscus Tinello  
Apostolicam Cancellariam Regens  
Expedita die XXIX Mar. a. Pontif. VI  
Marius Orsini Plumbator

Joannes Calleri, Proton. Apost.  
Josephus Del Ton, Proton. Apost.  
In Canc. Ap. tab. vol. CXXX n. 65

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI dilecto filio Amato Paulino, adhuc curioni atque vicario foraneo pagi vulgo Baliwag appellati, in diocesi Malolosina, electo Episcopo titulo Carinolensi eidemque renuntiato Auxiliaci sacri Praesulis Manilensis, salutem et apostolicam benedictionem. Quandoquidem sacra Nostra hic in terris Christi Vicarii, qua pollemus, potestas non solum id a Nobis requirit ut christifidelium coetibus omnimode consulamus, verum etiam eorum sacris Pastoribus, sit persape ut singularum Ecclesiarum Antistitibus, qui egeant, Auxiliares Episcopos assignemus, in laborando sodales. Quoniamque visum est huiusmodi subsidium dilecto quoque filio Nostro Rufino

S.R.E. Cardinali J. Santos, Archiepiscopo Manilensi, tribui oportere, censuimus te admodum idoneum esse, qui id munera acciperas diligenterque expleres, vir sane necessariis dotibus abunde praeditus. De sententia ideo venerabilium fratum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacrae Congregationi pro Episcopis praepositorum, deque summa Nostra potestate Te, dilecte fili, simul nominamus Auxiliarem sancti Praesulnis, quem diximus, simul Episcopum Sedis titulo *Cari-nolensis*, ad praesens vacantis, datis iuribus obligationibusque impositis congruis. Maiori autem commodo tuo studentes, facultatem permittimus ut consecrationem accipias a quolibet Episcopo, cui duo alii assint eiusdem ordinis vieti consecratores, qui sint omnes sincera fide cum Apostolica hac Sede coniuncti. Antea tamen ritualem catholicae fidei professionem des oportet iusque iurandum iures fideli-tatis erga Nos et Successores Nostros, teste quovis Antistite, et ipso cum Romana hac Sede sincera caritate coniuncto. Formulas vero adhibitas ad sacram Congregationem pro Episcopis quam primum mittas, de more signatas. Horta-mur denique, dilecte fili, ut, ad maiora in sancta Ecclesia absolvenda opera vocatus, sic labores ut bonus miles Christi Jesu: 2 Tim., 2,3 — . Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto.

Aloisius Card. Traglia  
S.R.E. Cancellarius

Franciscus Tinello  
Apostolicam Cancellariam Regens  
Expedita die XXIX Mar. anno  
Pontif. VI  
Marius Orsini Plumbarior

Toannes Calleri, Proton. Apost.  
Josephus Del Ton, Proton. Apost.  
In Canc. Ap. tab. Vol.  
CXXX N. 66